

Hæc tunc, cum iam tantam reimpresionem exequi meditabar, nobillima motiua erant, quæ ad indifferentiam meam in Te solo determinandam, firmandamque, vna vi, & vnica æquè, ac altera præpotenti, ratione currebant. Modò autem proximis iam Valentia, quæ Tibi, REVERENDISSIME PATER, replicatum ortum, vtrumque gloriosissimum, Mundo, & Religioni dedit, Generalibus in nupèr habitis Comitibus, ad totius Ordinis, Electorum omnium plausu, Præfecturam euectus, ea, quæ antea erant mihi aliquatenus libera, omnimodè necessaria reddidisti. Hinc si prius Tibi opus dicere, & quidem vrgentissimis ex rationibus, vt vidisti, volebam, volebam nihilominus, nunc autem debeo; ita ut si rationes modò omnes cessarent, ea solùm esset ratio, Sacrosancti nimirum, inuiolabilisque iuris exigentia, quæ vicissim, & filiorum bona Patribus deferenda, & à Patribus recipienda præscribit. Verùm hac ex mihi modò fœlicitèr orta necessitate, hoc mihi pergrande inter maiora solatium, meum scilicet, si est offerre, Tuum esse etiam acceptare. Liberè Tu nihilominus, PATER REVERENDISSIME, acceptabis, vt offerentis exilitati, quamuis non sic Auctoris, oblatis scilicet doni, magnitudini, occasionem facias merendi; Libertati enim Tuæ, qua recipies, Liber-